# DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE

# PARALYSI.

*QUAM,*

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. JACOBI TRIGLANDII, I.F.I.N.
SS. THEOL. DOCT. ET IN ACAD. LUGD.
BAT. PROFESSORIS. ECCLESIÆ
IBIDEM PASTORIS:

NEC NON

*Amplissimi Senatûs Academici Consensu, & Celeberrimæ Facultatis* MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

*Publico Eruditorum Examini submittit*

NICOLAUS VAN RYP, LUGD.-BAT.

*A. D. 22. Junii, loco, horisque solitis.*




*LUGDUNI BATAVORUM,*
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typographum. M DC XCIX.

*Nobilissimis Prudentissimisque*

VIRIS,

# REIPUBL. LEIDENSIS PRÆTORI, CONSULIBUS, SCABINIS.

D. DANIELI VAN ALPHEN, S. F. J. C.

D. JOANNI VAN BANCHEM, PRÆSIDI.

D. JOANNI ELEMAN, J. C.

D. GERARDO MEERMAN, J. C.

D. YSBRANDO DE BYE, J. C.

D. PETRO VAN DORP, PRÆSIDI.

D. LUCÆ VERHOOFD, M. D.

D. JOANNI VAN CINGELSHOEK, J. C.

D. JOANNI VAN ASSENDELFT, J. C.

D. JOANNI VANDEN BERG, J. C.



D. PETRO VAN LEIDEN VAN LEEUWEN.

D. NICOLAO VAN BANCHEM, J.C.

D. ADRIANO VAN CRUISKERKEN, J. C.

NEC NON

*Consultissimis Spectatissimisque*

VIRIS,

D. JUSTO VAN HEEMSKERK, J. C.
Avunculo suo per affinitatem Honorando.

D. JOANNI VAN GROENENDYCK, J.C.
Illi Nobiliss. Coss. à Consiliis, Huic Iisdem à Secretis.

Se & hanc Medicam Disputationem simplicissima observantia

D. D. C.

NICOLAUS VAN RYP.

*Auctor.*

# VIRI GRAVISSIMI,

*Quod Terentiano Adolescenti evenisse dicitur, ut, postquam ad Judices ventum esset, non potuerit cogitata proloqui, idem & mihi, hic Vos salutaturo, evenisset, si ad Gravitatem duntaxat Vestram & Splendorem, quo fulgentes meritissimo optimoque publico eminetis, animum meum convertissem. Sed timidum conscientia tenuitatis meæ, & claro obstupescentem lumine erexit singularis ille Amor, quo bonos, patrio Vestro gaudentes, & placide fruentes Imperio Consilioque, soletis complecti & adjuvare; firmavit eximia illa Comitas, qua Privatorum ad Vos aditus ita faciles sunt, ita liberæ querimoniæ petitionesque, ut, qui Dignitate omnibus excellitis, Facilitate pares infimis esse videamini. Ausus ergo sum Adolescens hoc in loco,* Viri Præstantissimi, *Vos compellare, & quanta maxima possum veneratione, obferre Vobis & consecrare Inauguralem meam* Di*sputationem; simul ut devotissimam Vobis mentem meam aperirem, simul ut probarem gratum me & sane quam memorem & aliorum complurium beneficiorum, & illorum insignium, quibus, ad nos etiam redundantibus, cumulare voluistis Patrem meum, nunc ipsos Viginti annos, secunda Voluntate Vestra, in Celebri vestro Gymnasio poliendæ Juventuti adtendentem. Si, quod facio, propitiis Vobis fecero atque adnuentibus, in cælo ero. Valete,* Ornatissimi Viri, *Pietate & Prudentia lætitiam temporum in rem communem & privatam revocare pergite.*

DISPU-



# DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE PARALYSI.

§. I.

Tanta Corporis eſt, quod ſani valenteſque homines in terris circumferunt, venuſtas ac pulcritudo, ut comparatæ illi beſtiæ vel laudatiſſimæ declarent, quid præſtet cæteris, quid interſit. Caput erectum, factumque ad cælum, innumeris diſtinctum ſideribus, contemplandum; forma Oris, modeſtia Vultus grata; inſigne Colli decus; candor Pectoris; Ventris ſpecies; Artuum, quos nomi-

nant Medici copulatas Corpori melioris vitæ cauſa Partes, modus adeo concinnus, ut nihil ſupra, Poëtas permoverunt, ut canerent, Humanum Corpus in Deorum cuncta moderantium effigiem eſſe fictum. Quid vero, ſi conſpicuus, natuſque in uſum ac fructum varium motus ſummo factorum artificio Membrorum magis minuſve ceſſet interceptus? Deteriori omnia in loco ſunt, ni iis ſubveniat Ars ſalutaris, quam ex ære aut marmore ſtatua. Hæc enim perdurat motus expers: illa flacceſcunt indies, &, peſte tandem propagata, intereunt. Scio haud unius morbi ſymptoma eſſe Motum deficientem manifeſtum. præcipuo varioque modo læditur in *Paralyſi*: hanc igitur, antiquæ ſatisfacturus conſuetudini Academicæ, excutere adnitar.

## §. II.

Elegantes Græci, qui indigeſtam ac rudem Medicinam ſapienter feliciterque excoluerunt, ea cum rebus aliis, tum etiam humanis infirmitatibus dederunt nomina, quæ intelligenti quandam illarum ingenii ſpeciem ſuggerunt. Ita hanc, de qua ago, vocant παράλυσιν, πάρεσιν, ut cætera omittam, quod Partes, motui ſervientes animali, reſolutæ, remiſſæ, laxæ ſint, & μόρια παραλελυμένα, flaccida & motus expertia dependeant. παράλυσις enim Reſolutio eſt, à παραλύομαι; πάρεσις remiſſio, laxatio, à παρίεμαι, remiſſus languiduſque reddor. Παρειμένοι, παραλελυμένοι, παραλυτικοὶ dicuntur Ægri, ad ſe movendum magis minuſve inepti. Ἐπὶ κλίνης βεβλημένους videas in Sacro Codice; κατακειμένους ἐπὶ κραββάτω. quos verbo erigere, dimittere firmatos domum, Θεανθρώπου Salvatoris noſtri erat, & Virorum, hac per ipſum facultate inſignium: quorum facta ſtupens

pens populus vere dicebat: εἴδομεν παράδοξα σήμερον.

§. III.

Etymologiæ, quam in cæteris Definitionem etiam Nominis Logici appellant, Rei ſubjungo Definitionem. quanto autem Res Nomine potior, tanto quoque hæc illa difficilior eſt. Haud ignoro deſcribi ſolere *Paralyſin*, Motus animalis, aliquando etiam Senſus defectum, unde flaccidæ evadunt Partes movendæ: cum vero ita, Symptomate deſcripto, oſtendatur magis quod Morbus adſit, quam, quid ſit, indicetur; malui ego, aliorum, quos colo & obſervo, neutiquam improbans rationem, Thema meum definire, quod ſit *Obſtructio vel Compreſſio ſpinalis Medullæ totius; dimidiæ; Nervorum inde propagatorum: Fibrillarum Medullæ, Propaginum, Muſculorumve Intemperies*: quibus ſi addidero *ſolutam*, quæ accidit quandoque, *dictarum partium Unitatem*, triplex notavero Genus Morbi, Διάθεσιν παρὰ φύσιν, ὑφ᾽ ἧς βλάπτεται ἐνέργεια, motus, hoc puta in loco, Voluntarius ſ. animalis, quem in Medicina Græce quomodo appelles non intereſt, καθ᾽ ὁρμὴν, ἢ κατὰ προαίρεσιν, inquit *Hofm. Inſtit. Medic. L.* 2. *c.* 15. §. 6. apud Philoſophos hæc differunt.

§. IV.

Cum *Medullæ Spinalis* meminerim, quæ haud abſurde dicta eſt quibuſdam *Cerebri* ἀπόρροια; ſtiriæ enim inſtar, quo propius ad os ſacrum deſcendit, eo fit gracilior; ſi diſceſſeris à duobus locis amplioribus, unde Nervi abeunt in brachia & crura; cum *Nervorum* ex illa prodeuntium, *Muſculorum* etiam, quibus inſeruntur; ſufficeret, opinor, propoſita Nobiliſſimi Viſceris eique adnexorum delineatio, qua lumen

Para-

Paralyſeos rationi præferretur. Sed Theoreticæ Exercitationes Practicæque, quibus adtendi, ubi Motus integer vel læſus explicatur, ſuas quoque adſignant partes tenuiſſimis Corpuſculis, quos *Spiritus Animales* vocant: brevem igitur Functionum, in quibus rudimenta illorum atque incunabula videre eſt, commemorationem præmittere ſuſtineo.

§. V.

Parens Spirituum Sanguis eſt, Sanguinis Chylus, Chyli Cibus: qui cum variis conſtet Particulis, liquet vere dixiſſe *Hippocratem in libello* περὶ ἀρχαίης Ἰητρικῆς *ferme medio.* Ἔνι γὰρ ἀνθρώπῳ καὶ πικρὸν, καὶ ἁλμυρὸν, καὶ γλυκὺ, καὶ ὀξὺ, καὶ στρυφνὸν, καὶ πλαδαρὸν, καὶ ἄλλα μυρία, παντοίας δυνάμιας ἔχοντα, πλῆθός τε καὶ ἰσχύν. ταῦτα μὲν μεμιγμένα καὶ κεκρημένα ἀλλήλοισιν οὔτε φανερά ἐστιν, οὔτε λυπέει τὸν ἄνθρωπον. In Homine namque ineſt (*Fœſii* eſt Verſio) & amarum, & ſalſum, & dulce, & acidum, & acerbum, & inſipidum, & alia ſexcenta, quæ, pro copia & viribus, varias habent facultates. Hæc quidem mixtione & mutua inter ſe contemperatione neque cernuntur, neque quemquam moleſtia adficiunt.

§. VI.

Varius ille Cibus in ore comminutus, &, dum ſubigitur ſaliva, leviuſcule maceratus depulſuſque in Ventriculum, ab efficaci menſtruo, calore, qui adeſt, blando adjuvante, diſſolvitur, attenuatur, & fermentatione lenta diſruptis partium lateribus, tenuioribuſque ex poris & fibris craſſarum eductis, χυλοῦται, in ſuccum redigitur, Medicis peculiariter χυλὸν dictum, qui, iteratis vicibus, motu interno externoque exiens potiſſimum per πυλωρὸν in Duodenum deſcendit, ubi dilutus lympha Pancreatica, & Bile magis

magis divisus aptior fit, opitulante præsertim Calore & Motu Intestinorum peristaltico ad subeundem per Velamentum bombycinum Vasculorum lacteorum orificia, pergendum per hosce ductus, Glandulas Mesenterii perreptantes, ad commune receptaculum. Dubitetne quis, an plurimum mutetur Chylus, hac in via ubique sese accommodans tubulorum pororumque angustorum Mœandris, tum lymphæ, infinitis à partibus adfluenti, in Vesicula, è Glandulosa congerie facta, commistus? Nunc adsurgit per Canalem, ab illa ortum Vesicula, nominatum vere, ubi Diaphragma superavit, Ductum Thoracicum, ad sinistram plerumque subclaviam, & sanguini, à partibus superioribus refluo, confusus in dextrum Cordis Ventriculum defertur.

## §. VII.

Si quis suo reputet in animo notatu dignissimam particularum diversitatem, quæ cum hoc in descendente, tum in adscendente inest sanguine; si quis percipiat, à ratione haud alienum esse, fermenti quid suppeditari ex Glandulis, vasculisque earum Lymphaticis, ex poris arteriarum Coronariarum, impetuosum sanguinem vehentium, ex Nervis Cordi insertis, ex sanguinis modo expulsi reliquiis (quî enim densa Cordis latera adeo arcte queant comprimi, ut nihil inter Fibras & Columnas, nihil in Ventriculorum eorumque interstitii Cavernulis hæreat?) facilis admittet insigniter agitari calido in Foco laticem, particulas ejus isthac agitatione valde quam distrahi, incidi, dividi; magis etiam, postquam latex hinc expulsus, & in trajiciendo Pulmone multum à recepto aëre mutatus, iterum, & quidem vehementius efferbuit in Ventriculo sinistro. Hic contractus ejicit sangui-

guinem in Aortæ Truncum, ex quo, in ſubclavios diviſo Ramos, ortæ Carotides, & Cervicales Arteriæ plurimo turgentem ſpiritu ad Caput vehunt & Cerebrum.

## §. VIII.

Cerebri omnes & ſingulas ſi hic enarrarem partes, poſitos mei operis fines tranſilirem. Satis erit dixiſſe, quod viſceris eximii corpus duplicem habeat materiam, colore etiam diverſo ſpectabilem, cinereo & candicante: illo imbuta pars exterior *Cortex* dici ſolet, hoc autem interior *Medulla.* Sic differunt ſpecie & loco, re multo magis. Dicit *Hippocrates libro de Glandulis* c. VII. τὸν ἐγκέφαλον ἴκελον ἀδένι, Cerebrum Glandulæ ſimilem eſſe. Conflatum verè è Glandulis *Corticem* detexerunt Præcellentes mente & manu Anatomici: in quibus jure optimo habitus *Godefr. Bidloo V. Cl. Anatomes & Collegii Practici in Athenæo Batavo Profeſſor Ordinarius, Collegii ibidem Chirurgici Præſes, Præceptor meus ætatem mihi colendus, in explicatione decimæ Magnifici Operis ſui Tabulæ* inquit: Cortex hic, qui omnes Cerebri Partes ambit, innumerabilium Glandularum ſubcineritiarum eſt acervus. Hæ omnes licet tortuoſe videantur diſpoſitæ, tamen racemorum ad inſtar acervatim colliguntur, ordineſque rectos duos & interdum tres efformant. Figura, nec magnitudine unaquæque cum adjuncta ſibi vicina convenit. Ratio additur rationi conveniens, Glandularumque, adhibito auctarum Microſcopio, facies pulcra exprimitur. Eorundem porro Artificum Solertia nos docet, ſedens ſub Corticali hoc tegmine corpus albicans, vel *Medullam*, coagmentationem contextumque eſſe infinitarum & valde quam ſubtilium Fibrillarum

rarum ſive Tubulorum, qui à Glandulis illis prodeuntes, multos veluti in Faſciculos diſtincti ceu totidem Canaliculi, poſt varios ductus & flexus multiplices, conveniunt plurimi circa mediam Cerebri baſin & Cerebelli fundum, coactique efficiunt rotundum Corpus, *Medullæ* ſervans nomen; ſed addito epitheto *Oblongatæ*; producti, & per Occipitis oſſis foramen in thecam illabentes Vertebralem, Corpus triangulare, quod *Spinalis* cognominatur *Medulla.* Uti ex Oblongata erumpunt intra Cranium decem, & plura forte, Nervorum paria, ſenſuum inſervientia Organis, aliis Capitis partibus, admirabili etiam Varietate Medio infimoque Ventri: ita è ſpinali exeunt per internodia Vertebrarum paria triginta, quæ totidem etiam ſunt faſces Tubulorum Medullarium Veſtiti Meningibus, in ambitum Corporis diſtributi atque extrema, ſive Muſculorum genus; ubi tandem in minutiſſimos & capillares ramuſculos diffiſſi diſperſique evaneſcunt, aciem, qua cernimus, fugientes.

§. IX.

Nunc ad ſanguinem redeo, quem διαλυόμενον καὶ πνευματούμενον impelli ſurſum dixi exeunte Theſi VII. Nutrit hic Cerebrum, continuo, ut reliquum Corpus, quid amittens; dum pori Arteriarum impetu ruentis è Corde ſanguinis dilatantur, dum ex iis proſiliunt particulæ minus etiam ſolidæ & flexiles, quæ ſimilem ſibi ſuperficiem nactæ, eique adhærentes, quod deerat, perieratve, inſtaurant. Si vero hiſce exitus detur, equidem facilior dabitur multo magis vividis, ſubtilibus, ſolidis, quarum inſignis adeſt copia, ſecretæque illæ in diverſis Cerebri partibus, & Spirituum nomine, è Chemicis transſcripto, dona-

tæ, varios in uſus vel ſponte ſua abire poterunt, vel dimiſſæ directæque à Præſide Animo; cujus directionis modum quærenti ingenue reſpondeo, me non percipere. Inprimis tamen conſideratu dignum eſt, innumeros Arteriarum Carotidum & Cervicalium ſurculos & reticulares plexus, utriuſque ἐγκεφάλȣ, προσθίȣ καὶ ὀπισθίȣ, ſuperficiem perreptantes, ſignificare non privatum Nutritionis uſum, ſed publicum & multo præſtantiorem. id volo, Liquidiſſimum ſanguinem in Corticalibus glandulis amittere florem ſuum, τὰ ἐνορμῶντα μόρια, impetúm facientes particulas, mirum quantum puta motas, tenues, at pro ratione molis plurimum habentes virium, quales ineſſe ſentimus ſalibus aliiſque Volatilibus: ſecretum porro, dictumque Animalem Spiritum capeſſere iter Theſi VIII apertum, in tubulos nimirum Canaliculoſve albicantem conſtituentes Medullam; quorum plurimi cum denique, ut notavi, in oblongatam compingantur Medullam, eo pergere, itaque recto ductu in Spinalem, inde per conjugationes nervoſas cum alio, tum in conſpicuos Artuum Muſculos.

§. X.

Muſculi, proxima voluntarii potiſſimum motus inſtrumenta, ex collectione fiunt fibrarum motricium; in quibus carnem videre eſt, in medio fere, utroque in extremo tendinem. hic ubi oritur, κεφαλὴ μυὸς vocatur; ubi inſeritur, τελευτὴ ſive κατάφυσις; κοιλίαν ἢ γαστέρα facit caro, adſperſa tendineis fibrillis, quæ idcirco, uti in Tendinibus connexæ, ita in Ventre non poſſunt non laxius junctæ eſſe: quamobrem Fibrillas, muſculoſam perreptantes carnem, bene & vere appellavit *divulſum Tendinem Spigelius*. Hiſce quo modo rectis ubi tranſverſas addidero membra-

branaceas, quæ inter se parallelæ fibras carneas obliquis angulis secant, propriæque Musculi membranæ sunt continuæ, ea in Musculo indicasse videor, quibus motus perfici potest, perficiturqne, simul ac Mens voluerit. In Naturali statu Nervorum canaliculi æqualiter spiritibus replentur, tubuli etiam ac pori, qui inter fibrillas, è quibus Organa constituuntur, non possunt non dari, illis pleni sunt, & aliis quoque è sanguine suggestis. Cum Menti lubet membrum aliquod movere, illico, æqua vi sublata, major ad id per Nervos fit spirituum pulsio, expulsioque è propaginibus in Musculum, movendo illi membro dicatum, premuntur Tubulorum latera, recedunt laxæ & molliores partes, tensilia filamenta ad lineam magis circularem vergunt, itaque adducto tendine, sequitur membri motus, cui inseritur. Non est è numero eorum, fieri quæ posse neges, particulas nitro-sulphureas, quas emittit sanguis, & spirituoso-salinas, ê nervis prodeuntes, ubi plures commiscentur, statim magis effervescere, & promovere subitaneam musculorum inflationem. Volunt etiam Viri Sapientes accèdere spirituum momentum ex Antagonista musculo extento, ubi alter contrahitur, per Tubulos inter medios, in quibus Valvulas concipiunt, refluxum spirituum Animalium ex altero in alterum musculum impedientes; iisdemque Valvulis & Nervorum & musculorum tubulos esse instructos. Cogitata sunt ac Hypotheses, phænomenis hisce explicandis idoneæ, nec adversæ rationi. ego autem eas in medio relinquo.

## §. X I.

Ita, quæ Thesi IV. promiseram, peregri dixi enim de *Musculis*, *Nervis*, *Medulla Spinali*, *Cerebro*,

 osten-

oſtendi *Spirituum Animalium* γένεσιν, fluxum, & continuum æqualem, & certam in partem ab anima volente auctum, ortumque inde per ſana Organa motum arbitrarium. Hic integer durabit, ubi, quæ recenſui, manent integra; unius pluriumve διάθεσιν vitiatam excipit, ut Corpus umbra, magis minuſve læſus. Quorum in Paralyſi, & quam diſpoſitionem præter Naturam? ſpinalis Medullæ, nervorum, muſculorum *Obſtructionem*, *Compreſſionemve*, *Intemperiem*, *ſolutam Unitatem.* Vide materialem, qua uſus ſum, definitionem meam Theſi III. & ex ante dictis collige, modum pariendæ partæve Paralyſios, quem nunc quoque eo illuſtratum, illarum παρὰ φύσιν διαθεσίων *Cauſas* explicando.

§. XII.

Ingenue fateor ſcrupulum & dubitationem haud levem mihi injeciſſe nobiles arte Viros ſuper ſtatuenda in genere nervoſo *Obſtructione.* Hæſitat in cæteris *Cl. Sylvius*, acer & perſpicax: nam, *Prax. Med. l.* 2. *c.* 21. *de Apoplexia agens*, deficere ait ſpiritus in ſenſuum motuſque Organis poſſe, nervorum in ſpinali medulla concluſorum culpa, quando medulla anguſtatur; id autem fieri Obſtructione, dummodo, ſubjungit, talis accidere queat, quod iis probandum relinquo, qui hoc adſerunt. Nimirum Cavitas, inquiunt alii, nec ſtylo, nec folle, nec microſcopio poteſt inveniri, ideoque non, niſi temere, ſtatui ἔμφραξις, Obſtructio, morbus conformationis in meatu deficiente. Ubi autem inveniri non potuit Cavitas? in corpore poſt mortem aperto. At nihil ſtultius eſſe cenſent Ἐμπειρικοὶ apud *Celſum in Præfat. lib.* 1. quam, quale quid vivo homine eſt, tale exiſtimare eſſe moriente, imo jam mortuo. poſuerant-

rant-

rantque antea rationalem professi medicinam, longe optime fecisse Herophilum & Erasistratum, qui nocentes homines, à regibus ex carcere acceptos, vivos inciderint, considerarintque, etiamnum spiritu remanente, ea, quæ natura ante clausisset. Idcirco *Galenus* etiam voluit, ut Nervi optici, quos statuit manifeste cavos, dissecarentur magno in animali, statim post mortem. Non semper apparent tenues lactei lymphaticique ductus; adsunt tamen, & quidem cavi. Minutissima vascula, quorum congeriem Testes facere, non glandulosam, non pultaceam substantiam, non sui generis Parenchyma, *Regnerus Gravius* docuit, ni semine turgeant, æque advertunt oculum scrutantis, ac ductus illi non distenti; ad conficiendum tamen & transmittendum semen comparata sunt. Si fieri etiam posset, ut, vigente sanguinis & secretorum spirituum motu, Cerebrum & Nervi perspicerentur, clariorem eorum faciem futuram arbitror. Quid multis? Tubulos vocare cum Anatomicis Præstantibus Canaliculos & Tubulorum fasces, ex quibus Cerebrum Medullare ac Propagines constant, & contendere, quod τυπόμενοι, quasi pulsando aperti, χανόντες, hiscentes, non sint, adeo durum est, ut Doctoribus accedam, qui aliter opinantes admittunt Obstructionem.

§. XIII.

Obstructionem vero *continens* quærenda erat *Causa.* Crediderim non minus alienos ab ea fuisse quosdam propter Nerveorum Tubulorum conditionem, quam rei hosce obstructuræ. Dubii sunt & controversi Humores alii: frequentissima Causa statuitur tenuior Pituita. Vide *Fernelium*, *Riverium*, *alios.* Particulæ hujusmodi, copiosæ pulso sursum sangui-

ni

ni commiſtæ, cum ſubtiliſſimis, licet per Venulas alio referri deberent, aliquando exeunt per poros Glandularum Corticalium laxiores in Tubulos medullares: illarum motui, dum queunt, obſequuntur: quieſcentes mediis in viis cumulantur paulatim, & varios, pro varia locorum ratione, pariunt adfectus: ad medullam oblongatam, ſpinalis medullæ principium vel ulterius prolapſæ hærenteſque multiplicem ponunt ſpiritibus defluxuris obicem, Obſtructionem dico, & Paralyſin faciunt, poſt diſtinguendam. Multi pro certo habent, Inteſtinalis Pituitæ partem, ſi non ſemper, ſaltem aliquando in tenues lacteos influere meatus, & trajicientem meſenterii Glandulas pergere ad ſuperiora. Nonne illius ingenii humor, magis etiam in ſanguine attenuatus, facile vaſa quæcunque capillaria poſſit ingredi, haud una de cauſa ibi hærere, obſtructiones varias creare, atque his copulata ſymptomata, in Pulmonibus, exempli cauſa, in Utero, in partibus externis? nihil admodum obſtare cenſeo, quo minus hæc etiam fiant in Cerebro ac Nervis. Cum igitur abſurdum non videatur, admitti τὸ φλέγμα ad obſtruendum, facilius equidem admittetur ὁ τοῦ αἵματος ὀῤῥὸς, ſerum ſanguinis, ad infringendum Canaliculorum τόνον; quamvis idem, quod Pituita, poſſit, ubi, diſcuſſo humido, fuerit compactum. Extra Corpus vix invenias ſpiritum ita rectificatum, (Chemice loquor) cui pluſculum aquæ non ſit adjunctum: in corpore etiam pars eſt ſpirituum animalium tenuiſſima aqua, quæ illorum habetur frœnum. Copioſior admiſta & profluens non languidiores modo facit ſpiritus, ſed fibrillas paulatim flaccidas, propter inductam in ipſas ἀκρασίαν ſive Intemperiem. concidentes autem illæ aqueis quoque involutas, vividiores

ali-

aliter, ſpirituum particulas ſiſtunt unde etiam ἐνέργεια, animalis Motus, læditur.

§. XIV.

*Compreſſionem*, quæ pluribus acceptior eſt, faciunt Incumbentia. In hiſce Familiam iterum ducit Pituita, vel propriè dicta, vel ex ſero lymphaticove humore, in variis Cerebri partibus ſecreto, plerumque oriunda: hæc enim niſi per vias naturales defluens excernatur, vel ſi juſtum excedat modum, ſtagnare poteſt, ſenſim prorepere, incubando premendoque anguſtare ſpinalem Medullam, vel ſecundum eandem ulterius prolapſa circa peculiarem Nervi exortum hærere non ſine momento & noxa. Sic etiam Craſin vitiari poſſe in Fibrillis Medullæ, Propaginum, Muſculorum, maceratasque eas ad officium ſuum ineptiores fieri, & ratione cognoſcere eſt & uſu. Non autem poſcitur, ut totus maceretur ductus: propter interpoſitam affecti atque emolliti nervi portionem ineptus fit reliquus, qui ad partes pergit, ductus, partiumque earum ſequitur reſolutio. vide *Platerum* de Paralyſi, & *Sylvium*. Hic de aquoſiori ſanguinis parte ſecreta in Cerebro verba faciens, *Diſput. Med.* IV. §. 33. ſuſpicatur, coagulari eam ſub tenui Meninge in liquorem, qui ſenſim ad Ventriculos, hinc per Infundibulum ad Glandulam Pituitariam tendat *ſecundum Naturam*; dum pars ejus fluidior pedetentim deſtillat ad Uvulam, ut blande irriget Fauces, Laryngem atque Gulam, concreſcere partem ejus viſcidiorem in Mucum, per Nares, & quandoque per Os etiam excernendum. Quoties autem major aquæ copia producitur *præter Naturam*, uti non raro in multis ægris ſub ipſa tenui Meninge adhuc hærens obſervatur, toties aut in Ce-

rebro Stagnantem, aut in Nares, Fauces, Partesve inferiores secundum Medullæ spinalis ductum delabentem varios, graves, imo lethales excitare morbos. *In Comprimentibus* porro numeratur *Sanguis* effusus è Vasis, vel ruptis nimia rarefactione, aut copia, aut causis violentis, casu, ictu &c. vel erosis ab acribus (inde tamen alia incommoda videntur potius oritura.) Idem etiam Sanguis vasa sane quam distendens (hic quoque stuporem potius aut formicationem, quam perfectam aut diuturnam Paralysin efficiet) *Tumor durus* è callo vel cicatrice post vulnus, aut contusionem in nervo excrescente. *Tuberculum* è tenaci nutrimento Nervi natum. *Tumores* in partibus vicinis. *Vertebrarum luxatio.* cedentes Vertebræ dorsum incurvare possunt citra Medullæ compressionem, ut fit in Gibbosis. *Vinculum arctius.* Cætera omitto.

## §. XV.

Nec immorabor τοῖς τῆς συνέχειας λύσεσι, *continuum seu Unitatem solventibus*, cum, quæ Nervos discindunt, vulnerant, contundunt, manifesta sint, unaque ratio motus hic pereuntis. Obstructo Compressove meatu penetrare spiritus quid subinde posset. qui vero possit discisso eodem & retracto? Contusos nervos effusus etiam Sanguis premit; uti procul dubio in illo, qui *apud Dodon. in observat.* fabrili virga regulave pulsatus illico in Paralysin incidit. Salubrior pulsatio erat, qua Andreas Meklenburgensis, multos deinceps annos luctatus cum cæcitate utriusque oculi, extrinsecus integri apparentis, petitum varia Medicina visum recepit. Vide *Jobi Mekerani observat.* XXVII.

XVI.

## §. XVI.

*Causas* in jam dictis haud obscure indicavi, *quæ Continentibus antecedunt* frequentioribus; *internas*, admistæ sanguini copiam Pituitæ, ac Seri, laxiores etiam Corticalium Glandularum poros, vel diathesin Cerebri, Cerebelli, aliarumve partium deteriorem. Hæc particulas emittit complures, spiritibus admistas, vel collectas alibi, undi mali labes. Diathesis autem illa vel hæreditaria est, vel post nata. Comperias enim quosdam Parentibus infirmis, & è Cerebro laborantibus ortos, eodem fere modo à teneris vexari. Sed produci etiam deinde potest continuo appulsu sanguinis, uti dixi supra, vitiati infectique. Inficiunt ita *Res* sanguinem *Remotiores*, quarum usus sequior destruit Naturam, dexter conservat, ideoque, ne careant nomine, Non-Naturales dictæ sunt Medicis; vel contractum paulatim vitium augent, movent, excitant. *Aër humidus*, *nebulosus*, *frigidus* & *asper* fovet pituitam & serum, atque omnes succos glandulares, qui multo phlegmate temperantur. Huc *aquam* refero *pluviam*, quæ una diutius aliquam in partem cadens emolliendo est fibras. Pallium ipsa madens, collo diu obvolutum, resolutam manum fecit, uti docet *Galenus*. 4. *de loc. aff. c.* 4. *Siccus calidusque aër* discutit tenues seri partes, viscidas etiam dissolvit; cogit iterum *asper* illi superveniens. *Cibus quantitate* nocet, quod cruditates generet; *qualitatibus*, quæ manifestæ in lacte, piscibus marinis, animalium extremis, leguminibus, oleribus, lactuca, cucumere, &c. *Pro Potu* Cerevisia haud bene cocta vel digesta. Vinum acidum, asperum, lenius quoque, sed plus paulo adbibitum; ita enim & alibi copiosius phlegma secernitur, & in Ca-

pite; unde accenſeri poſſit ναρκωτικοῖς, quæ ſale abundantia volatili incitant ſanguinem, ex eo ſerum fundunt moderatius, ſpiritibus jungendum, ut facilius quieti ſe tradant. Si nimia Seri Pituitæve exeat copia, Gravedines oriri videas, affectus Soporoſos, Apoplexias, Paralyſes. Mirum eſt, quod de ſuibus Agreſtibus refert *Ælianus*. Ὅταν αὐτοὺς λαθόντες ὑοσκυάμου φάγωσι, τὰ ὀξόπισθεν ἐφέλκουσι, παρειμένως ἔχοντες οὕτως ἑαυτῶν. Εἶτα ἐπὶ τὰ ὕδατα παραγενόμενοι τῶν καρκίνων ἀναλέγουσι, καὶ ἐσθίουσιν, ἐργάζονται ἤ οὖπι ὑγιεῖς αὐτοὺς αὖθις. Pleniora hæc vide *l.* 1. *c.* 7. *Var. Hiſtor.* Pari admodum ratione lædunt *Vita deſes ac ſine curis*; *Quies nimia*; *Somnus multus*; *Animus puſillus atque ignavus*; Terror, mæror premens ac perdurans; tarda plerorumque *Excrementorum dejectio:* potiſſimum ſi repentinus *Motus*, urgens *Sollicitudo*, *Vigiliæ* protractæ, *Ira* vehemens illis intercesſerit. Ita Res non-naturales. Verbum addo de præternaturalibus. Apoplexia Salutaris haud raro deſinit in Paralyſin. Eandem Epilepſiæ ſuccedere, Peripneumoniæ, Colicæ, ſuppreſſis Hæmorrhoidibus, Scorbuto, Arthritidi, aliis, notant Autores.

§. XVII.

Diſtinguitur hoc reſpectu Paralyſis 1. in *Primariam* & *Secundariam*. Hanc tranſlata alterius Morbi materia procreat, illam ſua. Si 2. toti inſideat Medullæ, atque omnes Capiti ſubjectæ partes reſolvantur, παραπληγία dicitur. Medullæ inquam toti, quia, uti Cerebrum anterius Falce, ita hæc tenuis Meningis interventu duas in partes dividitur. Si dextram, ſiniſtramve occupet partem, Ἡμιπληγία erit: *Paralyſis Particularis*, ubi una quæpiam laborat Pars, Lingua, Oculus, Maxilla, Labrum, Brachium,

chium, Manus, Crus, Pes. interior etiam, Intestinum, Vesica, aliæque? sunt, qui velint, nullum viscus à Paralysi liberum esse. 3. Παράλυσις ἐστι μάλιστα λεγομένη, vel *Perfecta* Riverio, cum motus, sensusque pereunt. quod fit, ubi cum obstructis compressisve Nervorum tubulis Intemperies insignis concurrit. Si langueat utraque ἐνέργεια, *Imperfecta* est. etiam, si motus desit, remanente sensu; ubi tantum spirituum non transmittitur, quantum motus postulat; licet Fibrillæ quædam adhuc tensæ impressum ab Objectis motum ad Cerebrum deferre possint. contra, si sensus desit, motu superstite. cum satis defluit spirituum ad partes, sed laxæ, flaccidæque sunt Fibrillæ. Qui tamen crederet remanentem sensum motumve, alterutro affecto, vigere posse, mea quidem sententia erraret. Eadem ratione *Magna vel Gravis*, *Levis* vel *Parva* nominatur. 4. Tempus, quo orta est, quoque affligit, *Recentem* facit, & *Inveteratam*, *Continuam* & *Periodicam*, cujus exemplum *Joubertus refert in Quæstion. de Paralysi.*

§. XVIII.

Utile Medico est atque amplum, non, quæ ante pedes modo sunt, videre, sed etiam prospicere futura. poterit enim sibi famam quærere & rem; quod in pretio habituri sint homines Virum, artis suæ scientem, fisuri lubentes præsagienti animo, quibus præcedentibus Morborum timor subsit, iisque ipso in tempore succurrenti. Σημειωτική igitur non negligenda. *Instantem* Paralyticam Valetudinem denuntiant 1. Pondus Capitis, nebulam quasi & caliginem functuræ suo officio Menti offundens. 2. Cephalalgia frigida, & subsequens eam dentium stridor, antea inauditus. 3. Tremor Partis resolvendæ, quæ cladis

incipientis nota. 4. Torpor, auctæ. 5. Stupor propinquæ. Hic proximus ad Paralysin gradus, imo tantum non ipsa Paralysis, inquit *Bellin. de Morbis Capitis p.* 531. Quibus licet addere 6. crudescentem Urinam, alii viridem dicunt. 7. Pulsum languidum. 8. Insomnia. nam in somno Phantasia debetur etiam vitio qua in parte nascenti. Putabat aliquis dormiens lapideum se crus habere, & post paulo resolutum habuit. Quamobrem haud temere *Hippocrates, ordiens περὶ ἐνυπνίων:* qui de his, quæ per somnos contingunt, recte conjectaverit; is ea per omnia magnam vim habere comperiet. *Præsentem* διαγινώσκει Medicus ex Symptomatis, quæ §. III. ostendere dixi, quod Morbus adsit, 1. sensu aliquando 2. motu imprimis animali deficiente, nec non 3. relaxatione partium, 4. frigore, & denique 5. ἀτροφία. quibus differt à Convulsione, Catalepsi, similibusque affectibus; cum in hisce rigidæ sint partes & firmæ, καὶ ἡ γνώμη νοσοῦσα, quæ hic sua non dimota sede.

## §. XIX.

Hæc *Morbi* διάγνωσις; *Causæ*, exempli gratia, Pituitæ, quam dixi frequentissimam, petenda 1. ex Antecedentibus, quæ generandæ illi Cacochymiæ apta nata posui §. XVI. Hisce addo 2. Mutationes temporum, potissimum parientes morbos, & in ipsis temporibus magnas mutationes aut frigoris aut caloris. *Hippocrat. Sect.* 3. *Aph.* 1. 3. Regionem, solo frigidam, humidamque, & cœlo. Per imbres longæ febres, alvi dejectiones, angina, cancri, morbi comitiales, resolutio Nervorum, quam παράλυσιν Græci nominant. *Cels. l.* 2. *c.* 1. medio. 4. Ejusmodi

di corporis constitutionem. 5. Ætatem primam & præcipitem. 6. Debiliorem fere sexum. 7. Morbos, qui præcesserunt, congeneres. 8. Excreta, prodentia causam. 9. Juvantia & Nocentia. Copiam sanguinis prementem declarabunt Plethoræ signa, inque iis Torpor & Lassitudo spontanea; Color verus, vividus, floridus; Vasa turgentia; Pulsus plenus, magnus; Diæta corpus solidum & succi plenum faciens. Dubias causas non explico. Externæ quæ fuerint & προκαταρκτικαὶ, æger quique circa eum referent. *Ipsam Mali sedem, partemve primo affectam* eo certius quis διαγνώσεται, quo rectius ex Anatome Origines Nervorum, distributiones insertionesque in Musculos, etiam perspiciendos, didicerit. Confer XVII. & VIII. de Nervis, ex oblongata Medulla intra Cranium, & è Spinali exeuntibus.

§. XX.

Censebam §. XVIII. expedire Medico, ut certis è notis imminentem dignosceret Paralysin. Haud minus ipsum decet è conditione præsentis προγινώσκειν eventum, ne vel temere despondeat curam, vel ægrum lactet spe vana, atque optima medicamenta infamet, illis cum pollicitatione medicando, quibus nulla salutis spes superest. Videat ergo præcipua morbi hujus discrimina, quæ habet §. XVII. & facilis erit πρόγνωσις. 1. Apoplexiam excipiens Paralysis difficillime sanatur, aut nunquam. Didici è Lugdunensi Cive, Viro honesto, matrem suam ex Apoplexia annos amplius triginta, usque ad obitum, Hemiplegia paralytica laborasse. Quid sperandum sit, ubi discissus Nervus, ex hujus natura liquet. Cui adde luxationem neglectam. 2. Si Hemiplegia adeo pertinax, Paraplegia licet primaria, cum pluribus noceat par-

partibus, neutiquam facilior erit. 3. Perfecta lædit gravius, ideoque dura ad Medicinam, uti & 4. Inveterata. 5. In Senibus. 6. Hyeme. 7. Macrescentibus in Membris fere opera luditur. *Celsus* hæc eleganter ita exprimit: quacunque parte Corporis Membrum aliquod resolutum est, si neque movetur, & Emacrescit, in pristinum statum non revertitur, eoque minus, quo Vetustius id vitium est, & quo magis in corpore Senili; omnique resolutioni Nervorum ad Medicinam non idonea Tempora sunt Hyems & Autumnus. Isque morbus Vehemens Sanari non potest. *l.* 2. *c.* 8. *ex.* Contra, aliquid sperari potest. 1. Si Pars resoluta alatur. 2. Vere & Æstate. 3. In Junioribus. 4. Si Morbus recens. 5. Mediocris vel levis. 6. Pedes & crura habeat. 7. Si pulso frigori succedere incipiat Calor. 8. Tremor. 9. Febris superveniat. 10. Diarrhœa.

## §. XXI.

Exposito Morbi ingenio, cognitisque Indiciis cum aliis, tum quæ Medentes & Ægros vel spe consolentur, vel metu terreant, auderem quoque ejus Curandi rationem ampliori Sermone tradere. Sed quia præter opinionem corpus fecit mea disputatio, hic rem conferens in pauca, & ad Pituitam modo respiciens, quæ Nervos angustat, spirituque intercepto Motum lædit animalem, Vias illam tractandi, unaque opera Morbo & Symptomati acerbo Succurrendi breviter & generatim aperiam. Pituita *loco* peccans indicat sui *remotionem*. Sed difficilius removebitur, nisi, morando etiam, *qualitate* peccans præparetur. Quapropter & Morbum continens, & fovens aliunde adfluendo, sui *adtenuationem*. adtenuata *Expulsionem*, præsertim cum & *Copia* gravis sit, indicat.

De-

Denique Pars affecta vel debilitata sui *integrationem* poscit.

§. XXII.

*Præparant Pituitam*, sive humoris viscosi particulas hamatas ramosasque, cum flexilibus quibusdam lubricis copulatas, discerpunt, incidunt, dividunt Aromatica dicta, Sale, Oleo, Spiritu acri turgentia: *Radices* Acori, Angelicæ, Aristolochiæ, Chinæ, Caryophyllatæ, Contrajervæ, Fœniculi, Fraxinellæ, Galangæ, Helenii, Imperatoriæ, Iridis Florentinæ, Pæoniæ, Petasitidis, Valerianæ, Scorzoneræ, Sarsæparillæ, &c. *Cortices* Arantiorum, Cinnamomum, Citriorum, Ligni Guajaci, Macis &c. *Ligna*, Guajacum, Sassafras, Juniperinum &c. *Folia* Betonicæ, Calaminthæ, Chamædryos, Chamæpytios f. Ivæ Artheticæ, Hyssopi, Majoranæ, Melissæ, Origani Cretici, Paralysis Herbæ, vel Primulæ veris, Rorismarini, Rutæ, Salviæ, Thymi &c. *Flores* Calendulæ, Caryophyllei, Cheiri, Crocus, Hyperici, Lavendulæ, Liliorum Convallium, Pæoniæ, Rorismarini, Salviæ, Sambuci, Stæchados, Tiliæ &c. *Semina*, Cardamomum minus, Cardui Benedicti, Cubebæ, Fœniculi, Nigellæ, Ocymi, Rutæ, Sileris Montani &c. *Fructus*, Baccæ Juniperi, Lauri, Sambuci, Caryophylli, Grana Kermes, Nux Moschata, Piper. &c. Plura è Vegetabilibus possem promere, si ea percurrerem, quæ monstrante *Petro Hottono, Botanices & Medicinæ Hac in Academia Celeberrimo Professore* didicisse me grata habeo in memoria. *Partes Animalium*, Cancrorum Oculi, Castoreum, Cornu Cervi, Cranium Humanum, &c. *Mineralia*. &c. Antimonium, Sal Ammoniacus, &c. Ex hisce paratæ Aquæ Simplices, Compositæ, Spiritus, Olea,

Sales Volatiles, Fixi, Pulveres, Syrupi, &c. *Misceri* possunt, uti ex variis simplicibus in aqua vinove decoctis *Apozemata* confici, in vinum infusis *Medicata Vina*, quæ commodo præstantique usui sunt & alibi, & Chronicis potissimum in Morbis. Mulsam quoque aquam sive Ὑδρόμελι pulcerrimæ collectioni addit in sua Paralysios medicatione *Freder. Dekkers*, *Medicinæ Practicæ Lugdunensi in Academia Professor Meritissimus, dum vivam, mihi Honorandus Præceptor meus.*

## §. XXIII.

*Expellunt Pituitam* præparatam & πέπονα, ut jubet *Hippocrates sect.* 1. *Aphorism.* 22, (quamvis olim Asclepiades, & deinde alii non dubitarint, absque præparatione vel πεπασμῶ statim etiam καθαρτικὸν φάρμακον exhibere) Phlegmagoga, non mitia hoc in loco, sed validiora & pleniori dosi, ne facile ac brevi à Pituita infringantur, sed per totum circumacta corpus particulis suis rigidioribus in omnia latibula penetrent, & fermentando noxium educant humorem. Quanti sint Μυροβάλανοι Emblicæ, Belliricæ, Chebulæ, non obscure sentias, quod in ordinarium Amstelodamensis Pharmacopœæ medicamentum non sint admissæ. unæ Citrinæ in Pilulas sine quibus. Notius est Cnici sive Carthami Semen, unde Syrupus διὰ κνίκȣ, Electuarium dia Carthamum. Euphorbium vehemens est. Valent Jalappa, Mechoacanna. Egregii censentur usus Agaricus sive Fungus Laricis, Hermodactylorum Radix, Turbith gummosum, atque amara Colocynthis, quæ arte tractata nobis dat Trochiscos Alhandal. Mercurius dulcis digerit egeritque humorem pituitosum, mo-

ram

ram trahit in Sanguine, & facit, ut post peractam purgationem alvus non sit ita dura. Hisce vel acui potest Medicina attenuans, ut sordes expellantur per ἐπίκρασιν, vel ei, aliquot deinceps dies haustæ, possunt opportunè subjungi diversa forma.

X X I V.

*Removent Peccantem loco Pituitam, Debilitatas etiam partes restituunt*, itaque solvunt morbum & triste symptoma eadem illa, quæ præparare dixi, (ciendis etiam sudoribus sunt compluria) & per alvum expellere; siquidem prudenter præscripta commendare medicus, præscriptis uti lubens volensque Æger, suggerere Præsentes, quæ prosint, arcere, quæ noceant, perseverent: δεῖ γὰρ οὐ μόνον τὸν ἰητρὸν παρέχειν ἑωϋτὸν τὰ δέοντα ποιέοντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρεόντας, καὶ τὰ ἔξωθεν, uti recte *Hippocr. Sect.* 1. *Aphorism.* 1. Egregius autem positis accedet stimulus, magisque impelletur mali causa, si post remedia laudata advocetur efficax sudoriferum, quod mineralia habeat, sales alcalicos volatiles, præsertim fixos, quippe qui dividant constanter, feliciter penetrent & emoveant: quamobrem in iis sæpius repetitis magnam desideratæ Curationis partem consistere Viri sapientes & rerum periti existimant. Formulis abstineo, quarum copiam reperias certis in Auctoribus, Paralytici quoque quadragenarii exemplum, qui à *Cl. Dekkero* sanatus est, in notis ejusdem ad cap. 3. Prax. Barbettianæ.

§. X X V.

*Internis*, dictos comparatis in usus, subveniunt *Externa*. Multa sunt in recensitorum indice, alia etiam idonea, quæ πρεξδικεμνήσας seligere potest Medicus coquenda in aqua, cerevisia, additis vino & vini spiritu, iisque affectas partes *fovendas* cura-

re. Ex iisdem *Balnea* fient, non omisso Sulphure, Nitro, Sale lixivioso, communi, proderuntque, ubi antea corpus bene præparatum aut purgatum fuerit. Quid autem profutura adfirmo? posse rem infeliciter cadere, licet optime curata sint omnia, docet *Hildanus Centuriæ* 5. *observatione* 6. Illis neutiquam inferiores sunt Thermæ naturales sulphureæ. *Oleis* stillatitiis, expressis quoque, is infusorum & decoctorum addetur modus, qui nimiam illorum acrimoniam & exsiccandi vim mitiget. Commista hæc *Unguentis Linimenta* dabunt utilia. *In Emplastris* laudat *Cl. Præceptor meus Dekkers* Emplastr. de Ranis cum quadruplicato mercurio, tantillo Caphuræ & olei Succini, ut lenius fiat, imponendum Dorsi Spinæ; cui ante perfrictæ, illini etiam potest conducens Paralyticis *Spiritus*. Sic promovetur adjuta Internorum vis: non equidem minus *Cauterio* actuali *Setaceove*, loco Cervicis posteriori, quam vocant Nucham, impositis: ita enim vitians spinalem Medullam pituita cito ac tuto removeri potest. Aliquanto molestius est Fonticulo Setaceum, sed multo utilius. ubi duo Fonticuli nihil admodum profuerant, evenit, ut unico setaceo morbus sit occisus, inquit *P. Barbette. L.* 1. *Chirurgiæ*, *c.* 21. Novi ego Setaceum cuipiam è consanguineis meis ademisse imminentis è pertinaci Opthalmia cæcitatis periculum. Sed abhorrent ab optimis persæpe Ægri, καὶ παρόντες ἄλογοι offerantur iis *Vesicatoria*, *Cucurbitulæ*, simplices & scarificatæ. Ἔῤῥινα, πλάρμικα φάρμακα, ἀποφλεγματίζοντα per Palatum & Nares è Cerebro Pituitam eliciunt. ergo & hæc, sed in tempore, erunt usui. Ex quibus optima parentur, & qua specie, docet in cæteris *Sylvius l.* 2. *Prax. c.* 21. §. 76. *& seqq. Vena incidi* debet, si dentur Plethoræ signa, vel minus com-

commode circumagi ſanguinem è Pulſu parvo & difficili reſpiratione pateat.

§. XXVI.

De *Diæta*, ſive convenienti Paralytico rerum non naturalium uſu, tacere propemodum decreveram; quod ex adverſis, quæ §. XVI. poſui, quivis haud ineptus facile ſecunda colligat. Malui tamen hæc breviter. Si *Aër* non ſit *calidus & ſiccus*, arte fiat. Soli ſegniori ſuccedit Luculentior Focus; cui adde fragrantia, Lavendulam, Majoranam, Rorem marinum &c. Tales etiam *Cibi* ſint, εὔχυμοι ſemper καὶ εὔπεπτοι. Panis, Vinum, Carnes condiri poſſunt ſeminibus gratis Aniſi, Carui, Fœniculi; Zinzibere, Cinnamomo, Garyophyllis, Nuce Moſchata, Roremarino, Salvia &c. Continens Æger, cibi & vini parcus, ſeque & Medicum adjuvat. Meii, μεὶυ, quod cognominant Athamanticum, Radices Cereviſiæ bene coctæ puræque vim & ſuavitatem conciliant. Expedit autem mutare aliquando Remedia, nec non Cibos. prudenter obſequi etiam deſideranti quidpiam, potiſſimum ſi haud nimis à morbo alienum ſit. Vide *Ampliſſ. Tulpium c. 8. l. 2. Obſerv.* de Marcore oſtreis crudis ſanato. *Somnus* prodeſt contractior. *Motus*, Exercitationes frequentes. Ingrediatur ipſe, (*Celſi verba ſunt l. 3. c. 27.*) ſi poteſt. Si id Crurum imbecillitas prohibet, vel geſtetur, vel motu lecti concutiatur. tum id membrum, quod deficit, ſi poteſt, per ſe; ſin minus, per alium moveatur, & vi quadam ad conſuetudinem ſuam redeat. *Animi tranquillitas*, quæ placida eſt in adverſis etiam minuſque gratis & quieta conſtantia, præcipuè poſcitur, uti & *Venter*, ſui officii quotidie memor; alioquin admonendus.

UNI DEO SIT GLORIA.

*Prudenti Sagacique*

# JUVENI
# NICOLAO VAN RYP

In Medicorum ordinem, post habitam publicè

*DE*

# PARALYSI

Disputationem, transcribendo

# ΕΥΠΡΑΤΤΕΙΝ.

Quis me jacentem non humili Deus
Percussit æstro? quis tenuem lyram
Intendit, inspiratque lentos
Non solito furor igne nervos?

Duxitne, alumno præmia largiens,
Phœbus Camænas, perfaciles sua
In vota, secum, quæ choreas
Instituant, celebrentque RIIPI

Insigne festum? dant placidæ vices,
Frontemque lauri frondibus inserunt,
Deprædicantes his labores
Muneribus, vigilesque curas.

Ille Ille, sensi, me raperet, nisi
Secura laudis carmina sperneret,
Plaususque virtus; namque votis
Sufficit ipsa suis abunde.

Nec

Nec raro amicus, flectere quas nequit,
Torquet Camænas; sæpius immemor
Attrectat invitas supremis
Plausibus excipiens sodalem;

Ab his remotum, & viribus imparem
Tacere præstat, ne male sedulus
In laude dentes invidorum
Exacuens reprobetur ardor;

Quem jure virtus despicit: invidos
Laus omnis armat, quæ numerosior
Exultat, imbellisque semper
Dedecorat populare serpens.

Laudes adornans alter ab artibus
Quærat decorem carminibus suis:
Est nostra in argumento amoris
Gratia sola, colende RYPI:

Devota vobis omnia debeo:
Musæque surgunt, ac adolent Patri
Suos honores me probantes
Discipulum sociumque gratum.

Moresque iidem, qui tibi junxerant
Primis ab annis me stimulis agunt,
Faustosque progressus amicis
Plausibus his tibi gratulantur.

Qui scire gestit, quas meruit RYPI
Doctrina laudes, publicus, audiat,
Patente quæ promat theatro, &
De reliquis bene judicabit.

HENR. SNAAKENBURG.

# Ad Eundem.

*Exsultans Hygiæa manum Tibi porrigit, alta*
*Vota fovens de Te studiisque, Aptissime* RYPI.
*Circumstant en grata domus Tibi pignora: læta*
*Fronte Tuum cerno Doctum celebrare Parentem*
*Hos actus. oculos in Quem, dum ritè triumphum*
*Ferre paras, gerit intentos festiva Corona.*
*Hunc beat, & sobolem gnavo Genitore salutat*
*Te dignam. Surgit plausus Gnatumque Patremque*
*Felices Divis commendant publica Vota.*
*Et mea Musa choros agitans, gratantia verba*
*Accinit, officium ac socialia fœdera servans.*
*Ergo age, Docte, dies tam festos insere fastis,*
*Lætitiæ quos sancta dicat Concordia nostræ.*
*Erige spem captam, qua se Tuus extulit ardor,*
*Grandia laturus meritorum præmia, Phœbo*
*Auspice; conspicuum cujus suffragia Mystam*
*Te dicunt, laurusque probat Tua tempora cingens.*
*Palladis i tutus clypeo: nam Te Dea mitis*
*Suscipit, & teneris gavisa amplexibus ardet.*
*Macte novis Doctor titulis, artemque tropæis,*
*Reddita post ægris solatia, sæpius orna.*
*Conspiciare diu felix, sua stamina Parcis*
*Tarda futura Tua medica clamantibus arte.*
*Fausta favor vitæ cultu quæsitus amico,*
*Fausta Boni spondent, venerantes candida mentis*
*Dona, Tuam jubeant quæ latè extendere famam.*
*Id Tua vel sollers poterit doctrina; sagaci*
*Ingenio quando sævis medicamina morbis,*
*Si qui forte ruant, meditaris. Tu modo perge*
*Judicium virtute, decus stabilire merendo.*
*I prudens. honor ipse ferat Tibi semina laudis.*

JOH. à CAPELL.